HENR. ERNEST. KESTNERI,

JC. & PP.

DISCURSUS PRÆLIMINARIS

DE

PRINCIPIIS JURISPRUDENTIÆ MODERNÆ, IN PAUCULA CAPITA REDIGENDIS.

Accedit

ANONYMI JCti

Gerichts- u. Proceſs-Ordnung/

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Worin gezeiget wird/ wie das Juſtitz-Weſen eingerichtet/ und ein Proceſs ſo wohl in erſt- als anderer Inſtantz binnen Jahrs Friſt geendiget werden könne.

RINTELII,

Sumtibus & Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typogr. An. 1710.

113

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

QVod ſummus Eloqventiæ & purioris Jurisprudentiæ pater *Cicero lib.1. de LL.* monet, ex intima philoſophia hauriendam juris diſciplinam, complectendam eſſe in hac diſputatione totam Juris Univerſi ac legum cauſam, ut hoc civile, qvod dicimus, in parvum qvendam & anguſtum concludatur locum, id uti verisſimum, ita vix dubium eſt, qvo minus id, qvod in vita civili agendum, vel non agendum, paucisſimis comprehendi poſſit præceptis. Principia juſti & injuſti adeo clara, & adeo, velut indelebilis qvædam ſcintilla, cordibus animisqve hominum impreſſa ſunt, ut, niſi qvis rationi vim inferre, aut divinam hanc creatoris voluntatem, tam alte radicatam, prorſus expungere velit, & agenda & non agenda primo velut intuitu, aut prævia levi ratiocinatione qvis penetrare valeat. Neqve opus heic erat prolixisſimo legum cumulo. Si enim mortales ſimplicisſimam hanc regulam ſervarent, Deumqve ſuper omnia, proximum vero ſicut ſe ipſos amarent, omnis vox juris facile ceſſaret, neqve tot litigia, neqve tot

Leges Poſitivæ in paucula capita redigi posſunt.

A judi-

Digitized by Google

judicia haberemus. Multitudo legum multitudo litium eſt, multitudo litium verò promtisſimum Reipubl. interitum involvit: qvo de plenius egimus *in tr. noſtr. de Prudent. Legisl.* §. 32.

De Neceſſitate & requiſitis legum humanarum.

§. II. Cum vero ob innatam hominum, ad qvævis mala propendentium, pravitatem, hic amor, hæc naturalis cognatio prorſus exulet, &, ut juſti ſecuritate fruantur, mali autem debita legum cenſura coerceantur, legibus ſit opus, qvin &, cum ipſe ſocietatis civilis nexus, ordo, habitus, & illa de meo & tuo controverſia leges reqvirant, de legum neceſſitate vix dubitandum: Leges vero, qvibus actiones humanæ conſtringuntur, breves, utiles, perſpicuæ eſſe, & in vernacula lingua conſcribi, genioqve populi accommodari debent. Et in hiſce ferendis longe maxima peritia, uſu rerum corroborata, & non tantum ſolidior Juris Naturæ, Divini, Ethices, Politices, & Hiſtoria variarum in variis regnis legũ, qva ratione, & qvem in finem latæ, ſed & penitior ipſius Reipubl. ejusqve ſtatus cognitio reqviritur. Enimverò primaria omnium legum cenſura occupatur in earum ad formam qvamvis Reipubl., ſive publicum ſtatum, expenſione, utpote cum prima legis cujusqve civilis dos ſit, ſtatui civitatis ſuæ utilem, altera illi non inutilem eſſe, etſi ad alias aliqvas neceſſitates proxime reſpiciat. Juſte igitur probeqve legem ut examines, neceſſum eſt, naturam ante omnia teneas illius formæ, aut illius Status Reipubl. ad qvam examen eſt inſtituendum. Ac proinde, ut ad qvamlibet formam qveas oblatam qvamqve legem arbi-

arbitrari, oportet inſtructus ſis omnis generis rerumpublicarum accurata notitia, qvæ leges ſcil., qvi mores, qvæ inſtituta cuilibet formæ conveniant, qvæ noceant atqve adverſentur. Scilicet omnis legum conſtitutio eo collimare, idqve efficere debet, ut plerumqve civibus bene ſit, vitamqve poſſint traducere in rerum ſufficientia & virtutum exercitio. *d. tr. noſtr. de Prudent. Legisl. §. 26. ſeqq.*

§. III. Eſt qvidem norma, & legum poſitivarum in Germania baſis receptum ſuo modo Romanorum jus. Neqve diffitemur, nullam ab orbe condito extitiſſe prudentiam juris, qvæ tot deciſiones, ex ipſis naturæ, æqvitatis, & ſolidioris cujusdam doctrinæ Juridicæ fontibus hauſtas referat, qvam Jus Romanum, ut adeo non iniqve dixerit, qvicunqve demum dixerit, Jus Civile eſſe cornu copiæ inexhauſtum ſapientisſimarum deciſionum. Si tamen fateri fas eſt, qvod res eſt, diffitendum non eſt, & ipſa rerum juriumqve connexio ſatis docet, multos, ſi non infinitos, nævos Jurisprudentiam Romanam premere. Jus enim hoc non exhibet diſciplinam accurato ordine, ac intra ſuos limites contextam, ſed confuſum potius chaos ſiſtit, à rationibus Germanorum prorſus alienum, qvodqve a tractatione legum utilium non tantum abducit, ſed & varia paſſim præjudicia ingenerat. Et, dum omnia ex Jure Romano repetuntur, ratio & congenita ejus dictamina velut opprimuntur, ut, ea, qvæ omnibus hominibus communia ſunt, à Romanis dependere, fere exiſtimetur. Imo eousqve leguleiorum conatus procedere *Defectus Juris Romani.*

115
Digitized by Google

ſolet, ut communia ratiocinandi principia,aliasqve veritates, propriis ſuis principiis ſuffultas,ex legibus Romanis deducant. Oppreſſa itaqve ratione, naturalia & poſitiva, ac Romanis propria, eâdem claſſe cenſentur,& omnia pro legibus primariis & fundamentalibus habentur, cum tamen poſitiva illa, qvatenus recepta ſunt, & recipi potuerunt, juris ſaltem ſubſidiarii rationem habeant. Præterea leges corruptæ, ſuperſtitionem, ſimiliave vitia continentes, in cenſum legum utilium admittuntur: graviores nævos tetigi *in tr. meo de Defect. Jur. Comm. in Germ. Probl.* 1. 2. 3. *& ſeq. Conf. Dn. Titius de Jure Privat. Rom. Germ. cap.* 1. §. 32. *&* 33. Imo ipſi Romani nunqvam adeo inepta ſuperſtitione leges ſuas ſunt venerati, ſed ſemper ultro faſſi, maximam partem ſuarum legum eſſe jus ſuæ civitati proprium, ut Athenienſibus Atticum, atqve pro uſu exigente mutabile, ſolis naturalibus legibus ſemper firmis atqve immutabilibus permanentibus. Qvot non mutationibus obnoxiæ fuerunt leges duodecim tabularum? per edicta prætoria ferme immutatæ. Jus prætoriũ fuit inconſtans usqve ad conditum edictum perpetuum, hoc vero plurimum diſcordia commentantium laboravit. Eadem inconſtantia fuit Senatusconſultorum & plebiſcitorum. Ipſismet porro cæſareis conſtitutionibus nihil incertius, nihil fuit inconſtantius. Cito profecto perierunt omnes, qvæ Hadrianum anteceſſerunt. Poſtremo & Jurisprudentes ipſos Romanos, qvibus autoritatem condendi juris prim⁹ Auguſtus conceſſit, usqve ad Marcum Im-

Imperatorem totas in ſectas diviſos fuiſſe conſtat, latisſime diffundente ſemet ſententiarum divortio. Ipſe deinceps Imperator Juſtinianus itidem faſſus eſt, jus ſuum non eſſe omnino perfectum, ſed aliqvando mutandum, prout plenius & accurate hæc Jurisprudentiæ Romanæ fata exhaurit *Conringius in Diſſert. de Varia & Vera Jurisprudentia.* Ex qvo facile apparet, qvam febriculoſa eorum ſit ſententia, qvi putant, Juſtinianeum jus omne eſſe velut cælitus datum jus, qvo omnes Respubl. atqve adeo omnes homines debeant regi, idqve nulla unqvam facta mutatione: non obſervari qvidem illud plene pasſim, ſed cum injuria id fieri & contra æqvitatem. Qvin potius firmum videtur ejusdem laudati *Conringii* judicium, ſeqventibus expreſſum verbis: Ego in illo Juſtinianeo opere magis magisqve videor mihi obſervare arcanam calliditatem, legum religione populum ſub jugum mittendi. Itaqve pene auſim dicere, legibus iſtis ad τυραννικὸν, ſive herile aliqvod Imperium ſtatuminandum, haud temere qvid aptius excogitari poſſe, modo obſervetur ex parte, qvales illas nobis Juſtinianus dedit, abolitis omnibus conſuetudinibus & inſtitutis Germanicis, in uſum populi conditis, qvæ ſola ſufflaminat & dominatum τυραννικὸν, qvem intentavit Juſtinianus herilis ingenii Cæſar.

Jus Romanum tamen ſedulo excoli debet.

§. IV. Abſit tamen, qvod hoc ipſo totam Juris Romani tractationem abjiciendam eſſe exiſtimem. Maneat utile, tollatur inutile. Receptum eſt Jus Romanum, & vim Juris Communis tenet, neqve

tamen

Digitized by Google

tamen aliter receptum, qvam qvatenus rationabile, applicabile, & Germaniæ moribus congruum intelligitur, id qvod recte exprimit *Schilterus ad Digeſt. Exerc. 2. th. 12.* qvando Romani Juris uſum legibus imperii firmatum aſſerit, niſi appareat, ob Statum Germaniæ, illiusqve leges, peregrinum illud jus recipi non potuiſſe. Neqve etiam Jus Romanum aliter conſiderari debebat, qvam eximium, uti alibi diximus, ſyſtema Jurisprudentiæ, in artem collectæ, qvatenus in juribus ſingulorum populorum, eoqve etiam Germanorum, in regulis æqvi & boni ſubſidium præbere poteſt. Sic ſane Romanis legibus utuntur omnia regna, populiqve, tanqvam æqvi boniqve fonte, qvo qvi aliter utuntur, næ illi parum ſibi conſulunt, cum verſo hodie regnorum populorumqve ſtatu in aliam, qvam Romanum olim imperium habuit, formam, Juri Romano non niſi abſurde qviſqvam ſe illiget. Neqve etiam conſultum fuerit, in excolenda Jurisprudentia Germanica, leges in Germania natas, fundamenti loco ſupponere, nam hæ ſæpe ſatis rudes, inſufficientes, parumqve excultæ ſunt, ut taceam, in plerisqve antiqviores non minus a præſenti Germaniæ Statu abludere, qvam leges extraneas, ut illis qvidem tuto & utiliter niti non liceat. Qvare, rebus ſic ſtantibus, Jus Romanum ita pertractari debebat, ut in qvâcunqve materia fontes Juris Naturalis & Divini, deinceps vero placita Juris Romani ex ſolida hujus juris ratione & hiſtoria, & tandem, an tale placitum à Jure Naturæ & Divino diſcedat, aut conveniat, an, & qvalem uſum teneat,

an

an receptum fuerit, an vero ob diverſos Germanorum mores unqvam recipi potuerit, ſolidè & accurate exponantur.

Status Imperii in ſuo territorio jus privatum recte condunt.

§. V. Interim nihil obſtat, qvo minus qvilibet in ſuo territorio princeps immenſam hanc legum farraginem, & inſecutas Gloſſatorum interpretationes, commentarios, conſilia, reſponſa, monſtroſaqve diſtinctionum, ampliationum, limitationum, & diverſisſimarum opinionum involucra, qvæ adeo Jurisprudentiam lacerarunt, ut neqve principium, neqve exitum veritatis in iis invenias, ſed, cum caſus aliqvis incidit, in tanta traditionum diverſitate incertus hæreas, nec, qvo te vertas, ſcias, amputatis iſtis ineptiis & Doctorum gloſſis, in juſtam aliqvam conſonantiam & pauculas poſitiones, rem ipſam ſatis exprimentes, cohibere poſſit. Perinde ut ſuo jam tempore Julius Cæſar tentaverat, Jus Civile ad certum modum redigere, atqve ex immenſa diffusâqve legum copia optima qvæque, & neceſſaria, in paucisſimos conferre libros: Qvæ tamen ita adornanda erant, ut vagum judicantium arbitrium reſtringatur, & intra juſtos terminos coerceatur, qvale inſtitutum plene, breviter & ordinate, diſponi debebat, ita enim aberit repetitio, obſcuritas, contradictio. Et, cum Principes ſanctioresqve Imperii ſtatus in territorio ſuo poteſtatem leges condendi, conditasqve mutandi teneant, ut adeo in cauſis privatorum non tantum Jus Civile & Canonicum prorſus abrogare, ſed & pro lubitu proqve utilitate Reipubl. novas leges ferre poſſint, utut iſtæ novæ

novæ leges adverſentur receſſibus Imperii, ſecundum qvas leges ſuprema imperii judicia judicare debent. *Ord.Cam.p.1.t.7.Pac.Mon.art.8.Cap.Ferd.IV. art.3.* Res hæc difficultatem nullam admittit.

Ob utilitatem publicam leges & feruntur, & mutantur.

§. VI. Neqve turbat ſententiam noſtram, qvod omnis novitas, omnisqve ſubitanea reformatio valde odioſa, ne dicam periculoſa ſit, cum ſæpius plus mali in mutatione, qvam in re ipſa boni eſt, nec facile recedendum ab eo jure, qvod diu æqvum viſum, monente *Ulpiano in l.2.pr.de Conſt. Princ.* Reſp. Verum hoc eſt, ſed etiam verum, imo verisſimum & certisſimum eſt, qvod, exigente publica ſalute, non tantum novæ leges qvocunqve tempore condi, ſed & veteres, ſi earum notoria ineptia & iniqvitas conſtet, mutari & poſſint & debeant. Salus populi ſuprema debet eſſe lex. Qvod vero Jus Romanum farraginem iſtiusmodi legum ineptarum ſiſtat, & leges cum ratione Reipubl. noſtræ parum convenientes exhibeat, de eo per jam dicta vix qvisqvam ſanæ mentis dubitabit.

Modus, methodusqve circa leges contrahendas.

§. VII. Qvare non inutile pretium operæ fore credo, ſi qvis bona diſſentientium, & hiſce conatibus reclamantium cum venia pro utilitate boni publici conſpectum & prodromum legum, Reipubl. accommodatarum, exhibuerit, &, reſciſſis inutilibus, qvibus tempus & Respubl. corrumpi ſolet, qvæſtiunculis, actiones hominum, legibus conſtringendas, ſecundum ductum Juris Naturæ & Divini dijudicaverit. Leges enim ideo feruntur, ut homines, in ſocietate Civili viventes, tutam atqve tranqvillam

vitam

vitam degant, à læſione abſtineant, &, ut uno verbo rem finiam, ſuum cuiqve tribuant. De publico jure, qvod ſtatum, nexum, conditionem, & ſtructuram ipſius Reipubl. involvit, & ex pactis imperantem inter & ſubditos, ſeu nobiliores, ſeu qvoscunqve, ſecundum cujuscunqve regni & provinciæ formam initis, fluit, alibi ſpecialiqve inſtituto agendum erat. Et, cum ordo in diſciplinis & juribus tractandis ſit arbitrarius, modo de re ipſa, ex genuinis ſuis principiis demonſtrata, conſtet, adeoqve, in certa qvædam capita rem omnem redigi poſſe, autumamus. Sed nec definitiones, nec regulæ interpretationum addi debebant, illarum ampliatio & vera interpretatio cuivis indulta, hæ ad logicam ſpectant, utræqve præſupponuntur, & in collegio de arte Juris & Jurisprudentiæ pertractantur. Materiarum abrogatarum, vel potius nunqvam receptarum, nulla, ne otioſos ſiſtamus conceptus, mentio facienda. Nonnullæ materiæ, de qvibus immenſa extant volumina ad paucula principia referri, atqve ex hiſce fontibus omnes omnino in iſtâ materia obvenientes caſus decidi poſſunt. Ut in uno alteroqve puncto aliqvod exemplum, theſin noſtram illuſtraturum, afferam, ſi in ultima voluntate lex iſta 12. tabb. prout legaſſet, ita jus eſto, pro immutabili norma haberetur, modo de iſta voluntate conſtiterit, eaqve ſive per ſcripturam teſtatoris, ſive per duos tresve teſtes probata fuerit, qvot non intricatisſimæ, nullum in rebus humanis effectum habituræ, decidi poſſent qvæſtiunculæ. Qvid enim intereſt, tam operoſam inter

118
Digitized by Google

teſtamenta, legata, & fideicommiſſa differentiam conſtruere, aut inanem iſtam regulam, qvod nemo pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere poſſit, ſtabilire velle, cum perinde eſt, certe eſſe debebat, ſive de tota, ſive de qvalicunqve bonorum parte, qvocunqve modo, diſpoſuerit teſtator, nam, prout diſponit, ita jus eſt. Neqve creditores defuncti ullum inde damnum ſentient, cum his bona defuncti utrobiqve maneant obligata. Qvid intereſt, tantum teſtium numerum exigere, aut de interpretanda teſtatoris voluntate tam ſpecioſas tamqve ſpinoſas colligere velle conjecturas, cum contra eum interpretatio merito facienda ſit, qvi clarius loqvi & poterat & debebat. Facit huc, qvod pereleganter monet illuſtris *Strykius* in epiſtola, præmiſſa commentario *Stephani* ad novellas. Nemo negabit, innumeras legum difficultates & ſubtilitates remotas eſſe, qvibus olim ſcatebant pandectarum codicisqve textus, poſtqvam ſuorum & emancipatorum, agnatorum & cognatorum tam in ſucceſſione teſtata, qvam inteſtata, diverſitas ſublata, & utriqve parentum eadem inſtituendi vel exheredandi neceſſitas ac forma impoſita, & tota ſucceſſionis materia ad illud æqvilibrium redacta, ut optandum foret, in omnibus aliis materiis idem feciſſe Tribonianum, ſic enim meliori loco forent judicia Germaniæ. In concurſu creditorum æqviſſima locum tenebit regula, qvi prior tempore, potior jure: in materia de prohibitione graduum caput Leviticorum 18. menſuram dabit, & ſic, prout ipſe contextus docebit, in cæteris procedi po-

poterat, utilia ab inutilibus, & otioſis, & non niſi litem parituris ſeparando.

§. VIII. Id facile prævidere poſſum, multos fore, qvi inſtitutum & conatus iſtiusmodi pro temeraria, otioſa, ſi non odioſa qvadam ſpeculatione habituri erunt, cum eorum ſcientia ultra glebam Juris Romani ſemet non porrigat. Qviqve ex hoc omnem juſti & injuſti ſcientiam, ex vana qvâdam ſuperſtitione, petendam eſſe exiſtimant. Addunt, qvod Doctor, Conſiliarius aut Magiſtratus nec leges ferre, nec conditas mutare, ſed ſecundum leges, cum miniſter legum eſt, pronunciare debeat. Non convenit de legibus judicare, easqve reformare, ſed ſecundum leges judicare, monente *Auguſtino in c.4. diſt.* 4. neqve etiam debemus ſapientiores lege ſcripa eſſe, qvod lex non cantat, nec nos cantare debemus. Affert ſecundum *Ciceronem lib.1.c.49.* vetuſtas omnibus in rebus longinqva obſervatione incredibilem ſcientiam. Cum autem poſteri ſemper mutant, quod a majoribus acceperunt, nunqvam certam ſolidamqve Jurisprudentiam impetrabunt. Non convaleſcit planta, qvæ ſæpe transfertur, nec leges crebris mutationibus obnoxiæ. Adde, qvod crimen læſæ majeſtatis ſit, ſi privatus promiſcue de legibus judicare, easqve temerario auſu mutare velit, nam Doctor & Magiſtratus legum miniſter, non arbiter eſt. Verum, hæc fulmina, qvibus leguleji ſua brocardica & gloſſas exornare, & pro aris & focis Jus Romanum, ejusqve autoritatem, perpetuo, & in omnibus ſuis partibus valituram, corroborare ſolent, parum rem conficiunt.

Reſolvuntur nonnulla circa hanc rem dubia,

ciunt. Pronunciandum eſt utiqve ſecundum, non contra leges; qvod ſi vero notoria legis injuſtitia erumpat, aut lex omni ratione deſtituatur, aut Reipubl. ejusqve rationibus minime conveniat, aut inutiles ſpeculationes, magnam litium materiam ſuppeditaturas, contineat, aut civium facultates exhauriat, privatus qvidem legem, qvod in ipſius arbitrio non eſt, haud tollit, hoſce tamen notabiliores defectus, haud exigua Reipubl. incommoda parituros, ſummo Principi ſubmiſſe indicat, &, qvalis iisdem medicina parari poſſit, debeatve, decenter monet. Erravere patres, & nos erravimus, errores autem, cum errare humanum ſit, corrigere debemus *conf. tr noſtr. de Def. Jur. Comm. in Germ. Probl. 2. §. 11.* Exprimit, & in hanc rem eleganter conſentit Summus qvondam Univerſitatis Helmſtadienſis JCtus *Eichelius*, qvando in docta *præfatione ad Obſervationes Hahnii* ſeqventem in modum docte procedit. Non eſſe profecto privati munus in Rempubl. manũ immittere, ſed eſſe boni civis, ſi qvid vitii animadvertit, magiſtratui id indicare, eoqve magis, ſi remedium ſciat, dare. Deinde officium magiſtratus eſſe, ſi vitium in Republ. ſua videat, utut difficilis ſit ſanatio, ſapientum tamen conſilia & ſententias exqvirere, qvo facto remedia adhiberi poſſint, exitum verò Deo committere. Boni certe civis eſt labaſcenti Reipubl., qvantum poteſt, re, opera & conſilio ſuccurrere. Aſt, obſtat *Neratius in l. 21. ff. de LL.* ubi diſertis exprimitur verbis. Rationes eorum, qvæ conſtituuntur, inqviri non oportet, alias multa ex his,

qvæ

qvæ certa ſunt, ſubverterentur. R. loqvitur ille textus non de Reipubl. præſide, ſed de judice, & qvidem illo, qvi in judicando non tam legum normam velit ſeqvi, qvam ſui animi ratiocinationes, qvod utiqve abſurdum, & longe pernicioſum foret.

§. IX. Non eſt vero, qvod præludia hæc, aut normam iſtiusmodi temerario forte impetu erudito orbi obtrudere velimus, aut eandem in maxima parte ſuffecturam credamus, leviculum ſaltem indicem & generalisſimam ſciagraphiam, qvomodo amplisſimus Jurisprudentiæ campus, multaqve juris placita in paucisſima capita referri poſſint, exercitii gratia exhibuimus. Nihil in rebus humanis perfectum, & ita, ut nihil ei addi poſſit, comparatum eſt, & qvid non, ſi de hominum actionibus moderandis diſputatur, captionibus eſt obnoxium? Scientia noſtra exigua ſaltem particula eſt, qvotidie diſcimus, dies diem docet. Indeqve in hac mortalitatis umbra ſi non perfectisſima, tamen illa, qvæ his proxime accedunt, magis magisqve urgere, & penetrare debemus, laborandum, qvantum poſſumus, ibant qvo poterant. Impoſſibile eſt, qvod ob infinitos in genere humano qvotidie occurrentes caſus, qvorum minima circumſtantia ſi non jus, tamen applicationem juris variat, omnia legibus, qvæ alias in vaſtisſimum & immenſum opus, vix per ætatem hominis legendum, excreſcerent, definiri poſſint, ſufficere igitur poterat, ſi leges breves, perſpicuæ, utiles & neceſſariæ de qvotidianis hominum negotiis ferantur, cætera autem, in iſtiusmodi legum complexu *Scopus inſtituti præſentis.*

non

129

non comprehenſa, aut novis conſtitutionibus ſuppleantur, aut ex genuinis Juris Naturæ & Divini principiis, qvorum indoles clara & cuivis obvia eſt, niſi rationis lumen obfuſcare velimus, decidantur. Neqve obſtat, qvòd hoc pacto juris & juri deditorum profeſſio in exiguas valde anguſtias abitura ſit: R. ſit hoc ita, Deo magis, Reipubl. & conſcientiæ, qvam noſtris neceſſitatibus & emolumentis, ex inepto litium ſufflamine vitam & ſuccum capientibus, ſervire debemus. Imo veri JCti in excolenda ardua Jurisprudentia & applicatione ejusdem genuina uberrimam ſemper adinvenient materiam, cum citra ſtrenuam juris & juſtitiæ culturam, nec regna, nec Respubl. ſtare, nec ad momentũ durare poſſint. Illud lubens agnoſco, & exoſculor, non eſſe hanc rem unius hominis, neceſſum eſſe, ut conſulat complures, in Reipubl. adminiſtratione jurisqve uſu verſantes, ne res tanta non ſatis circumſpecte agi videatur. Qvare, ſi meditationes hæ præliminares merentur, aliorum, qvorum doctrinam veneror, conſilia, monita, & obſervationes lubentisſime ſuſcipiam, errores corrigam; plures oculi plus vident. Stulta qvædam ex *Senecæ* judicio mortalitatis oblivio videtur, in qvinqvageſimum & ſexageſimum annum differre conſilia, & inde velle vitam inchoare, qvo pauci perduxerunt. Illi vero, qvi in verba Juris Romani jurarunt, placidè ferent, qvod placidè ab ipſis diſcedam, meliora, ſi meliores rationes advertero, lubens ſecuti ---

Cap.

CAP. I.
De Norma agendorum.

§. I.

GEneraliſsimam tum agendorum tum non agendorum normam ſiſtunt, nobisqve præcipiunt, tum immutabile iſtud naturæ, tum ſacroſanctum Jus Divinum, in ſacro codice plenius patefactum. Qvæ inviolabilia ſummi ſervatoris decreta, cum univerſum genus humanum ſtringant, in univerſum etiam ab omnibus omnino hominibus ſanctè, ſerio, plenisſimâqve cum cura obſervari, & actiones civium ſecundum hanc immobilem immutabilemqve regulam, qvatenus ea non particularem JudæorumRempubl., ſed omnes indiſtinctè homines reſpicit, & devincit, accommodari debent.

§. II. Et, qvamvis ad virtutem nemo cogi poſſit, coacta virtus non virtus, ſed ſuperſtitio eſt, debent tamen cives omnes arduum virtutis officium ſedulo excolere, ſecus facientes promerita cenſura conſtringi: ubi tamen imbecillitatis humanæ ratio habenda, eaqve, qvæ absq; inſigni publicæ qvietis turba tolli neqveunt, pudori cujusvis relinqvenda ſunt.

§. III. Ex qvo conſectarium eſt, qvòd homo ita ſe gerere debeat, ut, habita corporis & animi cultura, officia illa, qvæ Deo, ſibi, & proximo debet, plenisſime exerceat. Qvare animum honeſti, aliarumqve rerum neceſſariarum cognitione imbuere, Deum ante omnia, proximum vero ſicut ſe ipſum dili-

diligere, corpus alere, membrorum integritatem ac vitam conſervare, illudqve ita formare debet, ut ad præſtanda Deo & Reipubl. officia idoneum reddatur.

§. IV. Cum vero harum rerum determinatio, &, qvid pro tranqvillitate & pace Reipubl. faciendum, qvid omittendum ſit, (ſiqvidem præcepta Juris Naturalis generalisſima, & ad infinitos in genere humano occurrentes caſus adaptata non ſunt) à ſumma poteſtate, Dei vices in hac terra gerente, dependeat, hæc autem poteſtas territorii finibus concludatur, manifeſtum eſt, ipſaqve naturæ lex ſatis injungit, qvod omnes in territorio habitantes ſubditi, cujuscunqve dignitatis, ſtatus, vel conditionis fuerint, Principi ſuo obedientiam, ſubjectionem & fidem exhibere, Ejus commoda qværere, damna avertere, Eiqve fideliter, viribusqve omnibus, & vita & bonis ſervire, juraqve principis ſui adverſus qvoscunqve, non habito qvalicunqve reſpectu ſive is vel amicitiam, vel metum, vel periculum, vel odium, vel invidiam concernat, tueri debeant.

§. V. Legem a Principe latam, nemo vel abrogare, vel mutare, vel de ea judicare audeat. Debet tamen lex, qvam primum fuerit lata, è ſuggeſtu publicari, qvin typis in vernacula lingua exprimi: inſuperqve conſtitutiones & mandata ſecundum temporis, qvo publicata ſunt, ordinem in commentarios referri, libroqve peculiari inſeri debent.

§. VI. Feruntur leges circa actiones humanas, legibus attemperandas, ubi conſiderandum eſt, an actio iſta ſponte, an invite: ſi ſponte, an deliberato

an

conſilio, an repentino aliqvo animi motu, ſi invite, an per ignorantiam, eamqve aut vincibilem aut invicibilem, an vero per violentiam facta fuerit.

§. VII. Hinc error & ignorantia juris certi & publicati veniam non meretur. Alieni facti ignorantia nemini nocet, nocet tamen proprium, qvod qvis ignorat, factum, niſi hoc vel antiqvum, vel intricatum ſit, aut ignorans de damno vitando certat. Et, qvamvis error erranti imputari debeat, ſi qvis tamen valde probabilem oſtendere poſſit errorem, merito audiendus, eiqve ſubveniendum erit.

§. VIII. Qvæ qvis per vim & metum injuſtum, qvalis eſt metus amittendæ vitæ, ſanitatis, integritatis membrorum, vel maximæ partis bonorum geſſit, ipſo jure nulla ſunt, qvamvis juramentum, qvod vinculum iniqvitatis eſſe non debet, interceſſerit. Poterit igitur talis res, metu extorta, a qvocunqve poſſeſſore cum omni ſua cauſa vindicari, metum autem inferens pro qvalitate delicti graviſſima afficiendus pœna, imo heredes ad damnum, à defuncto delinqvente datum, reſarciendum ſunt obſtricti.

§. IX. Qvæcunqve pariter negotia dolo malo contracta, ipſo jure ſunt nulla, indeqve rei, ex cauſa doloſa à Domino traditæ, dominium in accipientem non transfertur, ſed a qvocunqve poſſeſſore recte vindicatur. Qvodqve de metu diximus, idem hic juris ſit.

§. X. Uti qvilibet in rebus ſuis boni cujusdam patrisfamilias officium explere, ita eandem,

C imo

imo majorem in alienis rebus, & negotiis ſuſceptis, ſolertiam & induſtriam exhibere debet.

CAP. II.

De diverſis Hominum, in Republ. viventium, juribus.

§. I.

DIverſitas hominum, in Republ. viventium, diverſa pro utilitate Reipubl. inducit Jura. Maſculi in iis, qvæ ſexus præſtantiæ tribuuntur uti in familiâ conſervanda, muneribus publicis conſeqvendis, fœminæ vero in iis præferuntur, qvæ infirmitatem ſexus concernunt; ſed huc Senatus Conſultum Vellejanum non ſpectat, nec fœminis, fidem, mediante hoc, rumpentibus prodeſſe debebat.

§. II. Sponſalia & nuptiæ fiunt per contractũ, adeoqve in iis pleniſſimus partium conſenſus reqviritur, qvi verus, non ſimulatus, non erroneus, non obſcurus, non flexiloqvus, non minis aut dolo extortus eſſe debet, ſicut etiam ebrietas & verba jocoſa hunc conſenſum impediunt.

§. III. Nulla ſponſalia valebunt, niſi patris, vel, hoc mortuo, matris, iisqve deficientibus, vel curatorum, vel ipſius magiſtratus conſenſu peracta fuerint, &, ſi parentes nullas idoneas diſſentiendi cauſas afferant, magiſtratus hunc conſenſum ſupplebit, priora antẽ ſpõſalia, qvamvis conditionata, poſterioribus ſemper præferenda, utut ad poſteriora vel concubitus,

cubitus, vel ipſa benedictio ſacerdotalis acceſſerit, niſi prior ſponſus ſponſave à pacto priori recedere velint.

§. IV. Impuberes ad ſponſalia contracta non aliter obligantur, qvam ſi hæc, adepta pubertate, approbaverint.

§. V. Solvuntur ſponſalia propter concubitum, ab alterutra parte commiſſum, propter malitioſam deſertionem, ob inimicitias capitales, verbera, graves minas, propter atrox delictum, qvod capitis pœnam, vel ei proximam, infert, ob relegationem, propter morbum contagioſum, qvo pertinet amputatio naſi, cæcitas, furor, gravis anhelitus fætor, propter impotentiam, propter ſtuprum violentum, ſponſæ illatum, aut ſi caſus alterutrum bonis ſpoliet, imo mutuo diſſenſu, ſi infelix matrimonium ſperandum, ſponſalia diſſolvuntur. Si ſponſus ſponſaqve præter neceſſitatem abſint, proceſſu deſertionis op⁹.

§. VI. Propter arctisſimum ſanguinis vinculum perſonæ, Levit. cap. 18. commemoratæ, matrimonium inire neqveunt, non tamen iidem gradus prohibiti ſunt.

§. VII. Nuptiæ nuptiarumqve effectus non intelliguntur, niſi benedictio ſacerdotalis interceſſerit.

§. VIII. Tenetur pater, eoqve mortuo, mater filiam, utut locupletem, pro facultatibus ſuis dotare.

§. IX. Donatio propter nuptias tanta eſſe debet, qvanta dos, ſed illa pacto, uti per ſe patet, limitari poteſt.

§. X. Inter conjuges bonorum communio

123

tenere debet; nec conjux ſuperſtes ad ſecundas nuptias convolare poteſt, niſi cum liberis prioris matrimonii hereditatem paternam vel maternam diviſerit. Dos tamen uxoris ſemper ſalva ſit, qvam, ſi vel alienata, vel maritus ad inopiam delapſus fuerit, uxor revocat. Qvod ſi tamen pacta ſucceſſoria inter conjuges facta contractaqve fuerint, & hæc valorem ſuum tenebunt.

§. XI. Promiſſio viduitatis, priori conjugi facta, nullius eſt momenti, ſi tamen vel prior conjux, vel tertius, ſuperſtiti conjugi legatum vel hereditatem, ſub conditione viduitatis relinqvant, tum vel nuptiis ſecundis abſtinere, vel lucro carere debet.

§. XII. De proclamatione ordinationes eccleſiaſticæ, utrobivis extantes, ſat utiliter diſponunt.

§. XIII. Marito, tanqvam capiti familiæ, poteſtas vel imperium in uxorem competit, qvod tamen in ſolo jure dirigendi conſiſtit, uxorem defendit, alit, ejus mores corrigit, ægrotam curat, & medicamenta procurat: uxor viciſſim marito ſubjectionem, reverentiam, auxilium, operas, cohabitationem debet, ſeqvitur maritum qvoad nomen, dignitatem, & forum, etiam relegatum, non vagabundum.

§. XIV. Matrimonium ab initio pro nullo declaratur, ſi contra legis divinæ prohibitionem, vel ob metum, vel ob dolum contractum fuerit, niſi pars læſa conſenſerit, tollit qvoqve matrimonium impotentia, ante nuptias reperta, & ſi qvis, a priore conjuge nondum liberatus, ad ſecunda vota tranſierit, & vel in perſona, vel in virginitate erraverit.

Tol-

Tollitur qvoqve matrimonium per adulterium, per malitioſam deſertionem, exceptiones heic obvenientes ſat notæ ſunt, facileqve ſuppleri poſſunt.

§. XV. Parentes ad educationem & alimenta, liberis præſtanda, teneri, filios filiasve viciſſim parentibus ſuis reverentiam & obſeqvium debere, ipſa naturæ lex ſatis præcipit; acqvirunt qvidem ſuis parentibus, qvicqvid acqvirunt, ſi tamen ſibi ipſis proſpicere poſſint, ſeparatasqve rerum ſuarum rationes inſtituant; hic poſterior nexus ceſſat.

§. XVI. Caſtrenſia tamen & qvaſi caſtrenſia filiorum bona plenisſime ad filiosfamilias ſpectant: in adventitio pater uſumfructū tenet, ſed hunc filiis filiabusve, ex patria poteſtate dimiſſis, reſtituere debet. Filius filiave autem de peculio adventitio irregulari teſtamentum condere poſſunt.

§. XVII. Per ſubſeqvens matrimonium legitimati jura legitimorum liberorum plenisſime conſeqvuntur, etiam ii, qvi per reſcriptum principis legitimantur.

§. XVIII. Poteſt adoptare qvilibet qvoscunqve vult, modo liberis legitima ſit ſalva.

§. XIX. Unio prolium autore judice, citatis, & adhibito cognatorum, tutorum, curatorum, eorumqve, qvorum intereſt, conſenſu fieri debet.

§. XX. Tutores idonei eligantur, electi, & à judice confirmati, non tantum educationem pupilli ſuſcipere, bona ejus optima ratione adminiſtrare, ſed & ſingulis annis rationes reddere debent. Tutores qvidem teſtamentarii, qvin & mater proximiqve

ſeu

Digitized by Google

ſeu agnati ſeu cognati admitti poſſunt, qvod ſi vero hæ perſonæ juſtam ſemet excuſandi cauſam adinveniant, aut ad munus hoc gerendum inepti deprehendantur, aliis hoc munus committendum eſt, cauſas excuſationum ſiſtit tit. *Inſt. de Excuſat. tut.* Qvæ de adminiſtratione & alienatione rerum pupillarium, qvin & officio tutorum Jus Romanum diſponit, recte cohærent, & huc ſpectant.

§. XXI. Minoribus, qvamvis invitis, curatores dari debent, minores autem viginti qvinqve annis ex fragilitate & lubrico ætatis judicio læſi, ſive illud damnum in committendo ſive in omittendo conſiſtat, reſtituuntur in integrum, qvorſum ſpectant jura in *t. t. ff. de Minor.* expoſita.

§. XXII. Gaudet qvoqve, maximamqve tenet juſtitiam SenatusConſultum Macedonianum, qvo cavetur, ne creditorib⁹, qvi filiisfamilias mutuũ dederunt, efficax actio detur. Qvod, qvamvis filius, ſe ſoluturũ, juraverit, valorem tamen nullum habebit.

§. XXIII. Furioſis, mentecaptis, ſurdis, mutis, ſimplicioribus, perpetuo morbo oppreſſis, prodigis curatores, eorum bona adminiſtraturi, conſtituuntur. Pauperes autem ſunt, qvi ne qvidem decem thaleros in patrimonio tenent.

§. XXIV. Varii in Republ. cives ſunt, alii illuſtriores ſunt, uti Comites & Barones mediati ratione bonorum, nobiles in Land-Schrifft- & Amtſaſſios diſtincti, qvorſum & integra, qvæ in Republ. deprehenduntur, corpora ſeu eccleſiaſtica ſ. civilia, ut & ipſi ipſorum Principum miniſtri tum civiles

tum

rum militares referri poterant. Alii Civici ordinis, alii ruſtici varii generis ſunt. Qvorum jura cum pro varietate Rerumpubl. varient, ex ſtatu cujusvis territorii accuratius cognoſci, qvin & in dijudicandis hiſce juribus ſtatuta, pacta & præſcriptiones attendi debent.

§. XXV. Corpora ſubordinata, veluti Univerſitates, academiæ, cænobia, provinciæ, pagi, eccleſiæ parochiales qvoad ad habitum politicum, collegia opificum, mercatorum, & ſimilia conſenſu ſummi Principis conſtituuntur. Reſpiciunt commune commodum, qvod bono publico ſubordinari, non opponi debet. Habent Univerſitates ſua jura, habent ſuas res, condunt ſtatuta, à ſuperiore tamen ſemper confirmanda. Poſſunt contrahere, qvi contractus etiam ſucceſſores obligant, modo nomine Univerſitatis ſint initi, aut in ejus utilitatem ceſſerint. Delinqvunt, ſed delicta illa illis, qvi non conſenſerunt, neqve ſucceſſoribus, niſi inde locupletiores facti, non imputantur. Læſæ reſtituuntur in integrum; officia Syndicorum ex ordinationibus petenda.

§. XXVI. Jus coqvendi & vendendi cereviſiam, opificia, & commercia, pagis ſolent eſſe interdicta, ſed nec hoc perpetuum eſt, cum talia jura interdum concedantur, interdum præſcriptione acqviruntur. Dominus territorialis in exigendis operis, à ruſtico præſtandis, domino inferiori præfertur. Circa rem pecuariam numerus ovium pro qvantitate agrorum & pratorum determinari ſolet, imo debet.

§. XXVII.

Digitized by Google

§. XXVII. Conſtituitur municipium conſenſu Domini territorialis. Ad Jura Univerſitatum ſpectat jus conſtituendi officiales, jus condendi ſtatuta ac diſponendi de iis,qvæ ad utilitatem municipii pertinent, jus mittendi deputatos, jus habendi bona univerſitatis, curiam, archivum, ſigillum & ſim: jus colligendi ſumtus neceſſarios, cura viarum municipalium, jus exercendi opificia, jus braxandi, qvo cavetur, ut cereviſia rite præparetur, ac inter municipes æqvalitas ſervetur. Spectat pariter huc jurisdictio cum variis ſuis ſpeciebus, jus occupandi bona vacantia, qvod Jurisdictioni ſuperiori cohærere cenſetur, jus approbandi collegia opificum, à Principe tamen confirmanda. Habent etiam collegia municipum ſua peculiaria jura, qvorum tamen directio ob abuſus, freqventisſime obvenientes, per leges & magiſtratus expedienda.

§. XXVIII. Qvoad diſtrictus pagorum & urbium neceſſum eſt, ut tabulæ publicæ conficiantur, in iisqve illi accurate deſcribantur, nam hoc tam in componendis controverſiis, qvam exigendis oneribus publicis inſignem habet uſum. Ad conſervandam diſtrictuum certitudinem etiam ſpectant ſolennes limitum inſpectiones, die Flur- und Gräntz-beziehungẽ/ qvæ auctoritate domini Jurisdictionalis, adhibitis agrimenſoribus, ac præſentibus vicinis, fieri, peractæ autem diligenter conſignari debent. Qvin & nonnunqvam caveri ſolet, ne prædia in confinio diſtrictus ſita, in poſſeſſores diſtrictus vicini alienentur, maximè ſi hi alieno etiã territorio, ac potentioris inprimis imperio ſubſint.

XXIX.

§. XXIX. Ad exigenda tributa, qvoad bona immobilia cataſtrum conficiendum eſt, in qvod illa cum accurata deſignatione referri debent. Debet autem illud fieri publica autoritate, vocatis iis, qvorum bona deſcribenda ſunt, ac rebus eorum rite taxatis, & tum ad acta publica referri.

§. XXX. Omnes actus tam voluntariæ, qvam contentioſæ, Jurisdictionis coram judice competente expediri debent.

§. XXXI. Reconventio qvoad forenſes in qvacunqve cauſa, etiam non connexa, locum habere debet.

§. XXXII. Si qvis de bonis ſuis in alieno territorio diſpoſuerit, aut teſtamentum condiderit, jura loci, ubi bona hæreditaria ſive mobilia ſive immobilia ſunt ſita, & poſſeſſores aut debitores hereditarii conveniri, & cogi poſſunt, attendi debent.

Cap. III.

De Juribus in rem competentibus.

§. I.

Diviſo genere humano in plura territoria, qvicqvid in territorio eſt ad territorium, ſeu Principem, nihil ad privatum ſpectat, niſi expreſſum docere poſſit titulum, indeqve inſulæ, alveus a flumine relictus, inventa in littore maris aut fluminis, theſaurus, feræ, metallifodinæ, res pro derelicto habitæ, ad Rempubl. pertinent.

D §. II.

126

§. II. Qvod autem qvis legitimo, & ad transferendum dominium habili titulo acqviſivit, de eo liberrimè diſponit, dominiumqve, ſi de voluntate, utrinqve declarata, conſtat, ſtatim translatum eſt, qvamvis res nondum fuerit tradita.

§. III. Nulla tamen rei cujusdam immobilis translatio valere debet, niſi confirmatio judicialis acceſſerit.

§. IV. Non poteſt qvis venationem qvalemcunqve exercere, niſi hoc jus ſive per feudum, ſive per aliam conceſſionem, aut per præſcriptionem immemorialem acqviſiverit, conceſſio tamen venationis, ſimpliciter facta, involvit ſaltem minorem venationem; gradus venationum, qvin & modum piſcandi, capiendi aves majores, turdos die Krammets-Vogel / Auerhahnen / Rebhühner / conſtitutiones provinciales ſat declarant, & declarare debent, neceſſumqve eſt, ut numerus columbarum juxta proportionem agrorum definiatur, ſicut etiam numerus ovium pro qvantitate agrorum & pratorum determinatur. Hæc autem jura non privative, ſed cumulative intelliguntur conceſſa. Feras qvoqve, in propria ſylva excitatas, qvamvis vulneratas, in alieno territorio perſeqvi non licet.

§. V. Qvæ de rebus mobilibus & immobilibus, de emphyteuſi, de cenſu, de ſuperficie, de rei vindicatione, de præſcriptionibus, de ſervitutibus tum realibus tum perſonalibus jura communia, qvoad maximam partem recepta, docent (cum qvibus tamen Germaniæ, & cujuscunqve in ea provinciæ de va-

variis colonorũ prædiis jura erant conjungenda) inſignẽ uſum tenent, & cum naturali ratione cohærent, qvare, reſciſſis, qvæ in hiſce materiis adhuc deprehenduntur, inutilibus, ſingula horum membra & effectus ordine recenſeri & determinari debent.

§. VI. Cum poſſeſſionis & dominii cauſa diſtinctiſſima, illaq; juſtisſima, hoc injuſtisſimũ eſſe poſſit, prius ſemper de poſſeſſione judicandum eſt. Nemo tamen armata aut hoſtili manu poſſeſſionem ſibi aſſerere, vel eandem eâdem violentia defendere, ſed coram judice agere debet, ſecus facientes gravisſima excipiet pœna, ad mortem usqve, pro re natâ, extendenda.

Cap. IV.

De Teſtamentis & Succeſſionibus.

§. I.

QVicunqve ultimam conditurus eſt voluntatem, is, ſi liberis modo legitima ſit ſalva, qvalis pro numero liberorum ſecundum Jus commune dimidia, vel tertia hereditatis pars eſſe debet, liberrime & indiſtinctè ſive de tota, ſive de qvalicunqve bonorum parte diſponit, neqve opus eſt, ut præcisè heredem inſtituat, ſed nomine legatorum, vel qvocunqve alio titulo, ſive totam, ſive partem hereditatis in alium transferre poterit, prout enim teſtator diſponit, ita jus eſt, & eſſe debet.

Digitized by Google

§. II. Probatur illa teſtatoris voluntas per duos teſtes idoneos, inter qvos etiam fœminæ eſſe poſſunt. Qvin & teſtator voluntatem ſuam judici oretenus ſive domi ſive in judicio,ut protocollo inſeratur, proponere, vel eandem in ſcriptis offerre poteſt; ſin autem teſtator nec ſcribere, nec legere poſſit, teſtamentum,in ſcriptis ita oblatũ,ipſi prælegi debet.

§. III. Ingratos & ſceleratos filios pater exhæredat, exheredationis autem cauſas exprimit Novella 115. Qvod ſi vero cauſa,inibi expreſſa,probari non poſſit, cætera qvidem teſtamenti capita valebunt,legitima autem filiis ſemper & in hoc,& in aliis caſibus, debet eſſe ſalva.

§. IV. Qvi in teſtamento obſcura fuit locutus, contra illum fit interpretatio,& nihil actum cenſetur.

§. V. Succeſſio ab inteſtato ſecundum ductũ Novell. 118. fieri, conjuges tamen cum liberis virilem portionem plene accipere,&, ſi nulli adfuerint liberi, collaterales & aſcendentes excludere debent.

§. VI. Dos & donatio propter nuptias conferri debent, non ſumtus ſtudiorum, neqve alia, qvæ liberi vivis parentibus,ſalva cæterorum legitima, acceperunt, niſi hoc pater materve velint.

§. VII. Pacta de futura ſive paciſcentium ſive cujusvis tertii hæreditatem pleniſſimum habere debent valorem.

§. VIII. Hereditas à qvocunqve poſſeſſore cum omni cauſa vindicatur; Bonæ fidei tamen poſſeſſor ſaltem fructus extantes, &, qvantum ex conſumtis locupletior factus, malæ fidei poſſeſſor autem

omnes

omnes,tam perceptos qvam percipiendos,reſtituit. Et,qvi poſt diviſionem, ſive privato ſive in judicio factam, immodice læditur, reſtitutionem læſionisqve correctionem obtinere debet.

Cap. V.
De Contractibus.

§. I.

OMne pactum,de re licita initum,ſervari debet, ſtringit autem hoc paciſcentem, ejusqve heredes,non tertium,ſi tamen in tertii,hoc nondum acceptantis,utilitatem aliqvid promiſerimus, promittens promiſſum ſuum ſervare debet.

§. II. Qvi factum promiſit, illud, ſi poteſt, præciſe præſtabit, nec præſtando intereſſe liberatur.

§. III. In mutuo qvidem pecunia in eadem bonitate extrinſeca, qvæ tempore contractus fuerat, reſtituenda, qvamvis alia materia, bonitasqve intrinſeca mutata fuerit: ſi tamen creditor inde damnũ ſentiat,tum valorem præſentem pecuniæ,olim datæ, vulgo das Aufgeld/debitor ſolvere neceſſum habet. Neqve debitum aliqvod, centum thaleros excedens, valebit,niſi judiciali autoritate confirmatum fuerit.

§. IV. Civitas tum ex mutuo obligatur, ſi in utilitatem civitatis aut verſum, aut ab iis, qvi civitatem repræſentant, contractum fuerit.

§. V. Uſuræ qvincunces permiſſæ, uſuræ uſurarum autem prohibitæ ſunt; niſi naturam ſortis induant, & ita nomen uſurarum amittant.

§. VI.

128

§. VI. Qvi in mora eſt, damnum ex mora alteri illatum reſtituit, & periculum rei deperditæ ſuſtinet.

§. VII. Qvæ de commodato, depoſito, pignore, fidejuſſione, emtione, jura communia diſponunt & clara & facillima, & legibus naturæ in maxima ſui parte ſat congrua ſunt, in hiſce tamen negotiis, & qvibuscunqve contractibus media diligentia, ſeu culpa levis, præſtanda c. 1. §. 9.

§. VIII. In concurſu creditorum æqvisſima regula, qvi prior tempore, potior jure, locum tenebit. Qvin omnes creditores hypothecam in bonis debitoris habere debent.

§. IX. In contractu Chirographario intra biennium non creditor ſolutionem, ſed debitor, hanc non eſſe factam, probare debet.

§. X. Nullum amplius Jus retractus, qvippe qvod commercia turbat & impedit, in emtionibus locum habere debet.

§. XI. In locatione conductione emtor rei locatæ ante finitos locationis annos conductorem non expellere, ſed contractum hujus, cum venditore ſeu locatore initum, ſervare debet.

§. XII. In ſocietatibus vulgo **denen Maſcopeyen**/mandato, permutatione, æſtimatione, pacta inſpicienda, & ſecundum naturam negotii determinanda. Nec in contractibus innominatis pœnitentiæ locus, niſi qvis in mora fuerit.

§. XIII. In cambio uſum præſtant ordinationes cambiales, qvorſum ſpectant **die Churfürſtl. Sächſiſche in der Stadt Leipzig** anno 1682. **und die Königl.**

Königl. Preuſſiſche im Hertzogthum Magdeburg publicirte Wechſel-Ordnungen.

§. XIV. Qvæ de negotiis geſtis, de condictionibus, de exercitoria & inſtitoria actione, de evictionibus, de ludis, de ſolutionibus, de beneficio ceſſionis, competentiæ, & ſeparationis Jura communia, in praxi recepta, diſponunt, illa, uti æqvitati ut plurimum conveniunt, ita, ſubductis inutilibus, in paucisſima capita contrahi, & ſecundum leges Naturæ & Reipubl. definiri poſſunt.

CAP. VI.

De Jure Eccleſiaſtico.

§. I.

